

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

45. Menstruum incalcinatum Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

44. Aqua gloriosa argenti vivi Lullii,  
In Testam. Novissimo.

R. **A**rgenti vivi vulgi libram unam, & pone in vase vitreo, & superpone de vegetabili menstruo (*superius in sexto genere sub No. 30. descripto*) quod supernatet per quatuor digitos, pone in balneo vel fimo per sex dies, & totum dissolvetur in aquam gloriosam, eleva menstruum per balneum lene, & in fundo vasis remanebit tibi lumen perlarum & anima metallorum. De hoc intelleximus *in cap. quod incipit*: Oportet nos cum eo incipere & cum eo finire. Tunc accipe illam aquam gloriosam argenti vivi, quæ erit libra una, & misce cum libris duabus de menstruo vegetabili cœlificato (*de Cœlo vinoso à nobis sub No. 30. sic dicto*) & totum fiet una aqua, cum qua dissolves omnia corpora tam perfecta quam imperfecta pro creatione sulphuris nostri.

*Eodem ferè modo præparat menstruum, quod incalcinatum vocat.*

45. Menstruum incalcinatum Lullii,  
In Experim. XXXIV.

R. **M**ercurii vulgaris, qui sit advectus ex Hispania inter pelles signatos sigillo hispanico, ne quid sophisticationis contineat, ipsum per camuscæ pellem transimite, mox aquam accipe mercurialem, extractam à mercurio per magistrum, ut te docuimus in experimento trium vasorum, ut scis; atque ita solve mercurium. Cum autem totus fuerit solutus, aufer ab illo aquam per balneum, & remanebit in fundo vasis mercurius in forma olei. Hoc ergo utemur ad incerandum (*circulandum potius*) in nostrum cœlum sive nostrum menstruum cœlificato. Accipe igitur quatuor libras menstrui cœlificati (*cœli vegetabilis sub No. 17. in quinto genere descripti*) & unam libram prædicti mercurii in oleum redacti.

ac

ac simul invicem conjunge, tum demum incalcinatum menstruum habebis, quo dissolves duo luminaria ad conservationem suæ formæ, non solum eam conservando, verum etiam propagando eam in infinitum.

*Hujus menstrui receptum clarum est; exponendum tamen est, quid sibi velit per aquam mercurialem extractam per magisterium trium vasorum, cujus menstrui descriptionem ita legimus.*

#### 46. Aqua mercurialis per magisterium trium vasorum Lullii,

*In Exper. XIII.*

R. **M**ercurium Hispaniæ, qui cum sigillo Hispaniæ in vasis advehitur, ne sophisticetur: Ipsum sublimabis hoc modo: Accipe vitriolum desiccatum ab omni phlegmate, & salem communem præparatum, & crepitatum, sive prius igne adustum, conjunge cum his duobus mercurium terendo quàm optimè, postmodum in vase sublimabis in principio igne levi, postea augebis ignem, quousque perfectè sublimetur. Frigefacto vase collige sublimationem cautè, caveas tibi à fumositatibus, sunt enim venenosæ, sublimatum quàm optimè imbibas oleo tartari *per deliquium*) & calce viva. Deinde materiam intra retortam constitue, subministrando ignem, donec vivus ipse mercurius in recipientem emanaverit. Iterum ut supra, cum novis iisdem materiis sublimabis, denique ut supra, per retortam vivificabis. Hoc pacto iteretur magisterium quater. Recipe igitur hunc mercurium sic præparatum, & cum aqua vitæ (*philosophica*) fervere facias, desiccatum trans mitte per corium capræ. Recipe igitur hunc mercurium, & illum constitue in vasibus (*tribus aludelibus*) quorum alterum alteri sit firmiter & fortiter annexum, ac undique forti luto sapientiæ coopertum, postea constitue furnum, in quo aptè hæc vasa collocentur, ita ut omnia æqualiter ignem habere possint, sed recipiens nullo pacto ignem sentire debet, sic etiam rostrum primi vasis, per quod mercurius debet intromitti extra furnum superesse debet. Subministra postea ignem dictis vasis, ut candescant, &